DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE VERIS HERBÆ THEE PROPRIETATIBVS ET VIRIBVS MEDICIS

QVAM,

DEO T. O. DVCE ET AVSPICE,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, FACVLT. JVRID. DECANO ET ASSESSORE, COD. P. P. ORDIN. ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITIS DE GLEICHEN ET HAZFELD CONSILIARIO, NEC NON EJVSDEM CANCELLARIÆ ET CONSISTORII BLANCKENHAIN. DIRECTORE, CIVITATIS ERFORD. STNDICO ET CONSVLE,

EX CONSENSV ET DECRETO INCLYTÆ FACVLTATIS MEDICÆ IN PER-ANTIQVA HIERANA,

PRÆSIDE

DN. D. IVONE JOANNE STAHLIO,

EMINENTISS. ET SERENISS. ELECT. MOG. CONSIL. ET ARCHIATR. ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL. FACVLT. MED. ASSESS. ORD. N. N. CIVITAT. ERFORD. CONSVL.

PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,

PRO GRADV DOCTORIS

VNA CVM PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS ANNEXIS LEGITIME ADIPISCENDO,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET

AVTOR ET RESPONDENS

ABRAHAM GOTTLIEB REICHEL,

Bernstad. Lus. sup.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE XXX. DECEMBR. M DCC XXXIV.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



DISSERTATIONIS INAVGVRALIS MEDICAE,
DE VERIS

HERBAE THEE
PROPRIETATIBVS ET VIRIBVS MEDICIS,

PROŒMIVM.



Vòd primi noſtri Parentes unacum permultis ipſorum ſucceſſoribus, ab ipſo ſtatim mundi exordio, per ſatis longam annorum ſeriem, ſolitario *Aquæ* potu ſitim ſuam reſtinguere aſſueti fuerint, admodum probabile, imò extra omnem ferè dubitationis aleam poſitum eſſe, vix quisquam negabit, quoniam hoc potulenti genus tunc temporis ſimpliciſſimum quidem, ſimul verò etiam pro conſervatione firmitatis & roboris corporum convenientiſſimum erat. Et licet dein ſucceſſu temporum luxurian-

tis appetitus voluptas ſtatim diverſa alia, non tam neceſſitatis, quàm potiùs delectationis gratiâ, excogitaverit potulenta ſapidiora & ſvaviora, hæc tamen poſtmodum etiam inter ſummas populorum voluptates ſemper affusâ aliquâ ſimplicis *Aquæ* parte temperari & alterari ſolebant. Tali ratione inter Romanos præcipuè uſus *calidæ & frigidæ Aquæ* ſub epulis ipſorum innotuit, quippe quam pro contemperatione generoſioris & attenuatione ſpiſſioris & quaſi mellaginei vini adhibebant. Referente enim JOH. NARDIO *Noct. genial. 4. p. 286.* non ſolum vina ſua ad centum, imò ducentorum & plurium annorum ætatem pertingere ſinebant, ſed & non raro, Arcadum more, illa ipſa, inprimis verò Malvatica, Hiſpanica & ſimilia jam jam ſpiſſeſcentia, in culeis & utriculis, ſub moderato ignis calore, ſucceſſivè evaporando adeò inſpiſſabant, *ut tandem raſilia fierent*, quæ dein ſub titulo *Carpion* ipſis veniebant. Quoniam igitur hæc Romanorum luxuries ipſos ſæpius ad inſtituenda ſumtuoſiora convivia atque ſympoſia excitabat, pro his autem debitè adornandis ſimul undique rariſſima & vetuſtiſſima vina conquirebantur, neceſſitas utique poſtulabat, ut ſpiſſeſcentia iſta potulenta mediante calidâ aquâ diluerentur & ad potum aptiora redderentur. Hunc ergo in finem publica erecta erant *Thermopolia*, quibus peculiares præficiebantur ſervi, quorum officium erat, continuò, imò ſub certâ quadam pœnâ, ita dictam *Caldam*, ſeu aquam calidam, in promptu habere, & inſimul varia potulenta dulcia, v. g. *Murrhina*, *Paſſum*, *defrutum*, *mellina*, *&c.* pro more illorum temporum calefacta, deſideranti-

bus

bus vendere. Et hoc ipso ultimo respectu ista Romanorum consuetudo cum eâ, quæ hodiedum inter nos adhuc viget, ferè coincidit, dum nempe ad minimum in plurimis celebrioribus Europæ civitatibus hinc inde certas deprehendimus Tabernas, parandis & vendendis usitatioribus illis calidis *Thee*, *Caffee* & *Chocolatæ* potulentis destinatas, quas propterea eodem jure *Thermopoliorum* titulo insignire possemus, cùm ratione usûs & scopi ab illis Romanorum nihil ferè differant, siquidem hæ ipsæ potulentorum species paucis abhinc lustris usque adeò delicatiorum gulas demulserunt, ut libentius ordinario & hactenus assueto domestico potu, quàm exoticis illis, carere velint. Quanquam enim cujuslibet terræ incolis ea sufficere possint, quæ exinde nascuntur remedia, satisque sufficiens & præstans herbis nostris indigenis, etiam vilioribus, insita deprehendatur virtus; tamen ùt in cibis, vestimentis & condimentis, ita quoque in remediis, optima creduntur ea, quæ aliundè accersenda & foris quæsita sunt, neglectis atque contemtis quæ domi proveniunt.

Cum ergo ob hanc aliasvè causas potulenta ista noviter introducta, speciatim verò HERBÆ THEE *Decoctum*, vel *Infusum*, â primo statim tempore, quo hoc ipsum nostris regionibus notum esse cœpit, varia, eaque diversissima sustinuerit fata, utpote â quibusdam non secus exceptum, ac de cœlo missus omnium morborum averruncator, ac divina quasi Panacea, ab aliis vero penitus damnatum & pro summè noxio declaratum: Hinc placuit in præsenti Dissertatione inaugurali curatius quoddam examen hujus herbæ suscipere, in-

que *veras* ejus *proprietates & vires medicas* in *Decocto* vel *Infuso* diligentiùs inquirere, hasque dein Lectori benevolo concinnè exponere. Faxit ergo Divinum Numen, nostrisque ita faveat meditationibus, ut non nisi illud, quod verum, bonum ac salutare sit, indagando consequamur.

SECTIO PRIOR,

sistens

Herbæ Thee botanicam descriptionem, diversas species, culturam, collectionem, præparationem & usurpandi modum.

§. I.

Circa denominationes nobilis hujus Plantæ Asiaticæ haud opus erit, ut in limine hujus tractationis fusiùs moremur, cùm paucæ admodum existant, & ratione originis plurimùm incognitæ sint: Chinensibus enim *Thè* audit, Japonensibus autem *T'chia* seu *Tsia*, item *Cha* & *Tcha*; atque ob hæc prorsus distincta vocabula multi in illo versantur errore, quasi diversæ speciei plantæ essent *Thè* & *Tsia*, cùm tamen eadem re verâ existat, ipsumque exinde paratum Decoctum vel Infusum apud utramque gentem idem sit; hoc saltem excepto, quod Japonensium *Tsia*, ob majorem foliorum contritionem & coctionem, communiter *nigrum Thè* appelletur, simulque gratioris sit saporis, majoris efficaciæ & altioris quoque pretii. Latini nostri denominationem suam vel â Chinensibus mutuantur, dum hæc planta ùt plurimùm ab ipsis *Thea* salutatur, inde & vocabulum Theé ortum est, vel etiam peculiari titulo *Herbæ Japoniæ* eandem insigniunt; vid. CASP. BAVHINVS *p. 147.* & JOH. BAVHINVS *Histor. Herb. Lib. XXVII. Cap. I.*

§. II.

§. II.

Quod autem nunc ſpeciem & formam externam plantæ noſtræ attinet, eſt illa propriè *Frutex, ad Roſæ Europeæ aut Ribeſiorum altitudinem exſurgens, caules & ramunculos á pede usque ad verticem perpetuis & copioſiſſimis floribus foliisque tenuibus ornatè veſtitos exhibens, quæ ipſa folia longitudine maximá duplicem unciam, latitudine verò pollicem circiter exæquant, figuramque obtusè acuminatam, ſæpe etiam ovalem, cum ambitu densè & inæqualiter crenato, inſtar foliorum Ceraſi, & nervo medio per anticam faciem ingenti lacuná depreſſo, in dorſo verò inſigniter prominente, & utrinque ſex vel ſeptem tenuiores, ante ambitum in ſe invicem iterum recurvatos, diſpergente, demonſtrant.* Et hæc ipſa forma foliis omnibus in genere communis, magnitudo autem ipſorum usque adeò diverſa eſt, ut quinque plerumque differentiæ foliorum uni eidemque frutici adnatorum appareant, ex quibus prima & maxima, in inferioribus ramuſculis occurrentia, Balſami hortenſis foliis ſimillima exiſtunt. His ſuccedunt dein ea, quæ ſecundæ magnitudinis & prioribus multò minora ſunt, ut ſic gradatim aſcendentia quinquies manifeſtè differant, ubi inſuper hoc perquam notabile eſt, quòd quantum hæc folia ſurſum magnitudine decreſcunt, tantùm è contra pretio accreſcant, adeò, ut, dum libra una maximorum, ſeu primæ magnitudinis foliorum, ſiccatorum & ritè præparatorum, quinque aſſibus venditur, idem pondus minimorum, ſeu quintæ magnitudinis, quinquaginta, imò ſubinde centum & quinquaginta florenos valeat.

§. III.

Flores, quos frutex hic copioſè profert, ſunt perfecti, ſimplices, albicantes, magnitudine, figurâ& colore Roſæ ſylveſtri Europeæ, excepto odore, ferè ſimillimi, regulares, hexapetali, per menſes autumnales in ſeram usque hyemen continuâ ſucceſſione provenientes, ſaporemque ingratum & aliquantulùm amaricantem exhibentes. Decidentibus poſtmodum horum petalis, remanet *fructus*, in principio viridis, reſiccatus autem rugoſo magis & ex ſpadiceo ſuſco pericarpio præditus, modò monococcus, ple-

rum-

rumque verò tricoccus, â fructu Ricino simili JOH. BAVH. non multum abludens. Ex his ultimus, si tandem ad maturitatem suam pervenit, atque sponte se aperit, in tres, alter verò geminatus in duas dehiscit partes, quarum quælibet continet *semen*, quod ex subrotundâ, aut in unâ parte sessili, non nunquam etiam triquetrâ constat nuculâ, tenui & lævi putamine, spadicei seu subrussi coloris, exceptâ basi albidâ, investitâ, in quâ tandem nucleus valdè oleosus, sub-albidus, pallidus & admodum rugosus, gustu primùm dulci, mox autem amaro & nauseabundo, tandemque sub-acri & exsiccante præditus, atque cuticulâ tenuiore & cinerea obductus, continetur.

§. IV.

Ex hoc semine frutex noster ordinariè plantatur & generatur sequenti modo: Circa Februarium mensem, quando nimio non amplius indurata est frigore, aut nive altius tecta terra, solent Japones in terrâ bonâ, dulci, nec salsâ, nec limosâ, nec nimis etiam arenosâ, circa sulcos præcipuè, & ad margines atque limites agrorum, scrobem rotundum ad sex vel octo pollicum altitudinem effodere, & ipsi dein 10. vel 20. seminales folliculos injicere, quoniam non omnes fœcundum in se continent semen, exinde scrobem iterum operientes & simul, inhorrescente forsitan brumâ, storeis straminеis tegentes: Sic ergo elapsis paucis hebdomadibus, seminalia ista capitula communiter in quatuor, sex vel octo, quandoque etiam plures frutices propullulant, quos dein absque ulteriori culturâ naturæ ingenioque suo relinqvunt agricolæ, nisi quòd eos ab inutilibus herbis repurgent & circumposito fimo equino fœcunditatem, incrementum & vegetationem ipsorum promoveant, hoc ipsum singulis postmodum annis repetendo. Stirpes autem, quò in spissius glomeramen & altiorem apicem exsurgunt, eo meliores judicantur, quoniam molliora & teneriora statim ab initio in majori copia exhibent folia; quodsi verò ad octo vel decem annorum ætatem pervenerint frutices isti, quo tempore communiter quinque vel sex pedum altitudinem adepti sunt, simulque

pauca

pauca admodum & duriora folia proferunt, abſcinduntur tandem, ſicque copioſi novi ſurculi ex radicibus iterum pro-germinant, numeroſiora dein & prioribus teneriora folia or-dinariè protrudentes.

§. V.

Decerpuntur autem Folia Thee primâ vice elapſo de-mum triennio, quippe quo tempore admodum copioſa & fragrantia ſunt. Prima collectio tunc inſtituitur ante æqui-noctium vernale, per peculiares huic labori deſtinatos ho-mines, & tunc pauciſſima atque ut plurimùm nondum peni-tùs expanſa & explicata, adeòque ſatis parva & tenera, obti-nentur folia, quæ tamen omnium optima & fragrantiſſima ſunt, atque propterea non niſi à magnatibus & ditioribus conquiruntur, nec non pro aulâ Cæſareâ aſſervantur, unde etiam poſtmodum inter Japones titulum *Thee Cæſareæ*, Kayſer-Thee, apud Sinenſes autem *Thee Buu*, obtinent. Adeoque exinde ſtatim liquet, quod hæc ipſa Thee ſpecies, licet per excellentiam quoque *Flos Thee* appelletur, minimè ex flori-bus noſtri fruticis conſtet, ut volgò quidem aſſeritur, quo-niam horum petala albicantia, ob ſaporem ingratum amari-cantem, (§. III.) nemo unquam colligit, aut foliorum loco uſurpat; nec non quod eadem hæc ſpecies â Sinenſibus *Thee Buu* dicta, prorſus diſtincta ſit ab illâ, quæ *Thee Boye* vocatur, utpote quæ vilioris pretii, nec usque adeò grati ſaporis eſt, quàm prior illa, inſimulquè ferventi aquæ ſub-rubrum com-municat colorem, qui è contra â Chinenſium Thee Buu viri-dis evadit.

§. VI.

Secunda horum foliorum collectio inſtituitur Menſe *Ja-ponum* tertio, qui ordinariè juxta noſtrum Aprilem eſt, & in-terdum usque ad medium Maji noſtri extenditur, ſi nempe annus fuerit intercalaris: Tunc temporis matres cum ſuis infantibus & ancillis folia iſta, tam novella & nondum ple-nariè expanſa, ſubflaveſcente ſuo virore & parvitate â reli-quis poſt præparationem peractam facilè diſtinguenda, quam etiam adultiora & paulò majora, ſiccâ tempeſtate & quâcun-

B que

que diei horâ, inprimis autem intenſiore Solis æſtu, decerpunt, & circa veſperam domum portant, ubi dein priora nondum explicata eligunt & prædictis primæ collectionis, quippe quibus ratione bonitatis æquiparantur, addunt. Tandem circa finem Maji menſis tertia ſequitur collectio, ubi folia omnia, quotquot adhuc in frutice ſuperſunt, decerpuntur: Et hæc ipſa, ratione quantitatis & copiæ horum foliorum, utramque priorem quidem exſuperat, reſpectu qualitatis & bonitatis verò minoris momenti eſt, quoniam eadem jam plenariè explicata & rigidiora, minusque fragrantia ſunt, eaque propter quoad plurimam ſui partem plebi ſaltem & pauperculis in uſum cedunt, aut â mercatoribus, turpi lucro inhiantibus, cum foliorum ſecundæ collectionis modicâ quantitate remiſcentur, ut dein eodem, quo illa veniunt, pretio, incautis divendi queant, quam fraudem pluribus expoſuit HANNEMANNVS in *A. N. C. Dec. II. Ann. V. Schol. ad Obſerv.* 131. p. 263.

§. IV.

Secundum hanc igitur collectionis diverſitatem variæ dein, prout etiam in genere jam jam indicavimus, foliorum Thee exſurgunt *ſpecies*, uti bonitate & fragrantiâ, ſic quoque nominibus & inprimis pretio admodum inter ſe diſtinctæ: Quæ enim circa æquinoctium vernale collecta ſunt, non ſolum, ut ſupra (§. V.) jam indicavimus, ſub titulo *Theæ Caſarea*, aut *Thee Buu* veniunt, ſed &, â Japonibus præcipue, *Thee molenda*, vel *Thee farinacea*, Meel-Thee, procul dubio ob foliorum ſubtilitatem & teneritudinem, vocantur, horumque unum Kin, ſeu Catti, quod ratione ponderis libram belgicam cum quadrante æquat, in loco pro 42. 5c. imò 56. imperialibus venditur, confirmante id ipſum KÆMPFFERO *in Amœnitat. exot.* ubi refert, quod ſola hæc vera atque optima ſit ſpecies, quæ & ſub patrio cœlo benè cara eſſe ſoleat. Secundæ collectionis folia alteram conſtituunt ſpeciem, quæ κατ' ἐξοχὴν *Thea Sinenſium* appellatur, quoniam more Sinenſium præparari ſolet; hujus vero dein quatuor peculiares iterum formant claſſes, itidem qualitate & pretio differentes, ſub

qua-

quarum tertiâ inprimis ordinarium illud Thee comprehenditur, quod in maximâ copiâ in Europam deferri, cujusque libra una pro 5. 6. vel 7. florenis in Belgio divendi solet. Quæ tandem ex ultimâ collectione obtinentur folia, tertiam sistunt speciem, quæ omnium vilissima & propterea etiam non nisi vulgo & rusticis usitatissima est, prout inferius videbimus.

§. VIII.

Proinde etiam quidam folia Thee *Japonensis* â *Chinensibus* admodum sollicitè distinguunt, illaque ab his in eo potissimum differre asserunt, quòd ratione figuræ minora, ratione saporis & odoris fragrantiora ac svaviora, & ratione coloris egregiè viridescentia sint, quæ ipsæ qualitates pretium eorundem usque adeò exaltare debent, ut, referente PETRO POMET, p. 177. quælibet libra 75. imò 100. florenis vendatur, sicque pretium Chinensis Thee ultra dimidium exsuperet. Porro nota quoque est differentia horum foliorum ratione *coloris*, tam externi, quam sub infusione cum aquâ fervidâ prodeuntis, qui vel viridescens, (unde etiam hæc species vulgò grüner Thee vocatur,) vel externè nigricans & in Decocto rufescens est, quam communiter *Thee Boye* appellant; licet incertum adhuc adhuc sit, utrum ultima hæc species talem colorem â diuturniori, nimiâ & inæquali tostione atque exsiccatione, an â concepto ante præparationem intestino calore, ad quem perquàm facile inclinant, an â seriori eorundem collectione, an denique ab adulteratione mediantibus certis Decoctis factâ, *) propriè obtineat. Reliquæ tandem denominationes, mercatoribus potissimum usuales, v. g. *Thee Heysan*, *Thee Bing*, *Thee Poual*, &c. non tam peculiares & distinctas horum foliorum species, quàm potius provincias & regiones, in quibus colliguntur & unde ad nos deferuntur, indicare ac denotare videntur.

*) Hujus sententiæ inprimis est SIEGESBECKIUS, qui in *Annal. Phys. Med. VVratisl. Ann. 1722. M. Januar. Class. IV. Art. 6.* hanc speciem planè suppositiam, aut ad minimum adulteratam & artefactam esse, judicat.

§. IX.

Quod verò nunc præparationem horum foliorum attinet, ea in omnibus ipsorum speciebus una eademque est, atque in sequentibus potissimum consistit: Quam primum illa collecta sunt, statim eodem adhuc die deferuntur in officinas publicas, pro eorundem exsiccatione & tostione in singulis civitatibus adaptatas & erectas, in quarum quâlibet 20. & plures conspiciuntur fornaces, altitudine trium circiter pedum, quibus super imposita est lamina ferrea, omnesque commissuræ undique arctissimè occlusæ, ne quicquam de fumo ad folia ista, quæ exinde statim depravantur, pertingere queat. Sic etiam minimè in cumulos ibidem coacervari, multò minus in alterum usque diem asservari debent, quoniam aliàs statim intestinum concipiunt calorem & dein sub tostione nigrescunt. Hæc autem tali modo ordinariè peragitur: Singula folia laminæ isti ferreæ nitidæ & calefactæ injiciuntur, manibusque assiduè versantur, usque dum flaccescant, ubi dein mundis storeis aut crassiori papyro imponuntur ac flabello perflantur, ut refrigescant, postmodum in planis ex arundine Indicâ confectis corbibus modestè agitantur manibusque volvuntur, donec crispentur, & tunc iterum laminæ ferreæ injecta, eodem, ùt antea diximus, modo, continuè versantur, donec modicè induruerint; hinc flabello iterum refrigerata, tertiâ, quartâ imò quintâ interdum vicibus super laminas ferreas, per gradus minus calefactas, revolvuntur, ut majorem siccitatem duritiemque contrahant. Tandem in pavimentum storeâ contectum deponuntur, ut novus foliorum fiat delectus, minora nempe & teneriora â crassioribus, inconditè crispatis & nimis adustis sollicitè separando, eademque denuò, sicuti sub collectione factum erat, in classes suas distinguendo, quo labore peracto, si per aliquot hebdomades aut menses jam jam asservata fuerint, ultimâ vice supradictæ cuidam laminæ ferreæ calefactæ denuò injiciuntur & securitatis ergo adhuc semel siccantur, denique ollis intrinsecè vitreatis includuntur, in annos tunc durabilia, si accuratè obturata teneantur.

§. X.

§. X.

Singuli autem hi modo enumerati labores ob certas & singulares instituuntur causas, ita ut omnes indiscretim necessarii sint, & ad perfectam horum foliorum præparationem absolutè requirantur: Tostio enim in genere, unacum rotationis & crispationis actu, non solum eum in finem requiritur, ut exsiccentur folia & in parvam molem redigantur, pro commodiori asservatione ac transmissione; sed &, ut corrigantur & â malignâ suâ & cerebro aut nervis inimicâ narcoticâ & inebriativâ qualitate, *) quam recenter collecta, juxta KÆMPFERI relationem, *l. c.* exhibent, ejusque intuitu nervis facilè tremorem inducunt, liberentur. Sub primâ enim tostione statim transsudat ex illis succus quidam ex flavo viridescens, qui abluitione eorundem cum aquâ calidâ removendus est, si virtutem suam naturalem cum colore suavi viridi obtinere debent. Peractâ autem quâlibet tostione, refrigerari statim debent contorta folia, quoniam sic gyros arctius retinent, quippe qui non eveniunt, nisi sub fervore, nec perdurant, nisi sub manubus refrigescant folia. Lentè denique & repetitis vicibus, semper gradum ignis minuendo, exsiccanda sunt hæc folia, ut sensim arescendo virorem vividum & æqualem conservent, quippe qui citiore, nimiâ & inæquali tostione plerumque facessit, ut folia potius adurantur & nigrescant. Rustici autem cautelas has ferè omnes negligunt, suaque folia in lebete saltem fictili, paucis vicibus manuque rudi torrent, & hinc decoctum ipsorum plerumque & colorem & saporem minus gratum exhibet.

*) Ob hanc ipsam singularem horum foliorum qualitatem plures Botanici etiam eo fortè inducti sunt, ut, antequam vera hujus fruticis forma ac foliorum figura innotesceret, eundem pro *Chamæleagno Dodonæi*, seu *Myrto Brabanticâ* declarârint, quippe quæ cerevisiæ inter coquendum addita, similem inebriativam & quasi narcoticam virtutem ipsi conciliat. *Vid.* NEBELII *notæ ad Ammanni Charact. Plant. p. 588.* Alii ê contra Botanographorum plantam hanc *Consolidam*, idem *Bellidem*, *Palinurum*, *Betonicam*, &c. esse, aliis quidem ex causis, sed similiter perperam asseruerunt.

§. XI.

Quod denique *modum*, folia hæc pro uſu interno *præparandi* & *adhibendi*, attinet, alius Chinenſibus, alius Japonenſibus uſitatus eſt, nec non, alium magnates, alium plebeji & ruſtici obſervant. Chinenſes contenti ſunt ſolâ infuſione & extractione beneficio aquæ fervidæ inſtitutâ, quam methodum noſtrates plurimi cum adjectione ſacchari cujuscunque, ſecuti ſunt, atque in hunc usque diem adhuc obſervant. Alii ſaturatiùs deſiderantes infuſum, coctione ſuper carbones illud con- & efficiunt. Illi enim aquam in cupreo cacabo fervefactam, ſiccis integrisque foliis Thee, ſingulari ollæ porcellanæ injectis, ſuperfundunt, tincturamque ſic extrahunt, quam limpidâ aquâ ad gratam amaritudinem temperatam, calidè poſtmodum ſorbent, ſaccharumque ut plurimum ſimul maſticant, aut in ore deliqueſcere ſinunt. Dein novâ affusâ aquâ tincturam iterum extrahunt ſecundâ vice, quæ debilior eſt primâ, & tandem folia abjiciunt, quæ nauticis ſociisque navalibus, meliorum defectu, acetariorum vices ſupplent.

§. XII.

E contra per totam ferè Japoniam alia prorſus & quidem operoſior præparandi ratio, uſitata eſt: Horum enim magnates & divites nullum in re domeſticâ opus majore diligentiâ, faſtu, nitore & artificio curant, quam ſui T'chia præparationem; quandoquidem, qui in cæteris parciſſimæ ſunt ſupellectilis, in hoc tamen copioſo & ſuperbo inſtrumentorum famulorumque apparatu impensè, imò ad ſuperſtitionem usque, geſtiunt. Conſiſtunt autem hæc inſtrumenta partim in molâ, ex electo Ophite paratâ, huic prorſus ſimili, quâ Semen Sinapios conterere ſolemus, quamque illi ordinariè pro triturandis & in tenuem pollinem redigendis hiſce foliis adhibent; partim in fornaculâ, ex mixto cum aliis metallis ære artificiosè fusâ, cui ollam, ſeu cucumam, ex eâdem materia confectam & aquâ repletam, ſuper imponunt, ut ſemper præſto ſit fervida talis aqua. Proinde etiam peculiares tripodes, infundibula, calices, cochlearia, aliaque perpolita hunc in ſcopum fabrefacta inſtrumenta præſto ſunt,

quæ, aliquot aureorum millibus coëmpta, ac ſericeis integumentis involuta, intimioribus ſolummodo amicis oſtenduntur, ſimulque eodem ferè in pretio habentur, ac apud nos adamantes, gemmæ & baccata ſummi pretii monilia, prout hoc referunt MAFFÆVS *Rer. Indicar. Lib. VI. & XII. Ludov.* ALMEYDA *ſelect. Epiſtol. Lib. IV. Aloyſ.* FROIS *in Relat. Japon.* & JOAN LINSCHOTTVS *Cap. 26.*

§. XIII.

Quando igitur potulentum hocce pro more ſuo præparare & uſurpare volunt, tunc exiguis cochlearibus, ex teſtudineo cornu, aliove pretioſo ligno, vel etiam metallo, fabrefactis, trituratum illum viridem & admodum fragrantem pulverem horum foliorum calicibus ſuis injiciunt, ac ſuperfuſâ cum mundato hauſtro & infundibulo aquâ fervidâ, pulverem hunc minutulis ex arundine Indicâ crenarum formâ artificiosè conciſis ſetis, aut peculiaribus rutabulis minimis, tamdiu conquaſſant, donec in ſpumam elevetur, & tunc *Theam* hanc *ſpiſſam*, reſpectu tenuioris per ſimplicem infuſionem & extractionem paratæ ita dictam, pitiſſando cum ſummâ delectatione hauriunt, atque tam convivis invitatis, quam aliis honoris causâ ipſos ſalutatum venientibus, officioſiſſimè tantâque animorum inclinatione propinant, ut Principes etiam viri, licet peculiares ſuos unicé hunc in finem habeant famulos, ſæpiſſimè non detrectent, quin potius honori ducant, propriis ſuis manubus hoc potulentum vel amicis decoquere, vel alioquin ipſi miſcendo temperandoque operam ſuam impendere. Plebeji autem & ruſtici tantum operæ haud adhibent, ſed ſolummodo folia iſta, ſupra deſcripto (§. X.) modo præparata, promiſcuè in æneo cacabo, aquâ repleto, qui toto die pro communi potu in foco ſuſpenſus tenetur, lento igne decoquunt, donec iteratis tincturis folia illa debilitata rejiciantur, horumque in locum manipuli aliquot recentium iterum ingerantur.

SECTIO POSTERIOR,

exhibens

Principia constitutiva foliorum Thee, eorundemque proprietates & vires medicas.

§. I.

Ne forsitan in eruendis & explanandis genuinis plantæ nostræ, hodiernis temporibus usque adeò decantatæ, virtutibus & proprietatibus medicis, â simplici veritate deflectamus, illorumque vestigia prementes, qui eandem pro universali ad vitam prorogandam morbosque omnes debellandos venditant ac toti ferè orbi obtrudunt medicamento, plura ex falsô hoc præjudicio ipsi tribuamus, quàm quidem unquam abinde expectari & præstari possunt; ante omnia, priusquam hunc primarium nobis propositum laborem aggredimur, in prima horum foliorum principia inquirere, illaque examini chymico-pharmacevtico subjicere placet, ut ex hâc demum analysi certò concludere queamus, quales potissimum effectus ex usitato horum foliorum infuso sperare & ægrotis afflictis promittere liceat.

§. II.

Primò igitur, præviâ infusione cum aquâ fervidâ hujusque institutâ dein lentâ evaporatione, exhibent hæc folia quæcunque, prouti hic venduntur, Extractum austeri saporis & evidenter adstringentis qualitatis, quippe quod non solum, si cum aqua simplici iterum dilutum fuerit, post affusionem solutionis Vitrioli eximiè effervescit, & nigrum, atramento prorsus similem, colorem acquirit, cum subsequente aliquali incalescentiâ vitri; sed & lacti recenti itidem præviâ solutione commixtum, particulas ejus oleosas & terreas præcipitat. Quapropter etiam Celeb. MANDELSLOH *in Itinerar. Indico Cap. IX. p.* 42. hoc ipsum Extractum alvum constipare ejusque nimium fluxum cohibere, jam jam annotavit.

§. III.

§. III.

Dein etiam mediante destillatione ex Retortâ Illustr. HOFFMANNVS spiritum sub-acidulum, adstringentem, empyrevmaticum ex foliis hisce obtinuit, prout in *Dissert. de Infusi Veronicæ efficaciâ præferendâ Herbæ Thee*, §. *VIII.* refert. Si porrò decenti combustione tractantur, tunc cineres ipsorum sal fixum aciduli saporis in mediocri largiuntur quantitate: Ipse etiam fumus illorum, si per fistulam hauriatur, evidentissimam adstrictoriam austeritatem ostendit, quæ gulam constringit & fauces aridas reddit. Tandem latitans in his foliis acidum etiam sese prodit, dum Infusum ipsorum saturatius Syrupum Violarum cœruleum pulcherrimè rubicundo tingit colore, quod omnibus acidis solenne est ac proprium.

§. IV.

Præter hæcce verò salina fixiora etiam alia non minùs efficacia subtiliora principia hisce foliis, præsertim Thee viridis, inesse, testatur non solum odor exsiccatorum admodum suavis & fragrans, sed & destillatio cum aquâ pluviali ex alembico instituta, sub quâ hæc ipsa aqua odore & sapore blandiori imbuitur. Pertinet quoque huc infusio & extractio eorundem cum Spiritu vini, quæ Tincturam elegantioris coloris, quam quæ mediante fervidâ aquâ prolicitur, odoris satis fragrantis & saporis adstringentis atque gratè amaricantis, præbet, prout ANTON. de HEIDE *Cent. Observ. Medic. Observ. 76.* refert. Hinc Celeberr. HANNEMANNVS in *Schol. ad Observ. 131. Dec. II. Ann. V. Act. Nat. Cur. p. 264* autumat, quod ambiguum utique sit, utrum aqua calida verum & genuinum menstruum existat, quo vires ex Theâ possint extrahi, quoniam aqua penitus ejus contextum non solveret, nec intimam ejus essentiam medullitus penetraret, cum Spiritus vini alcoholisatus aliam virtutem ex eâ extrahat, unde tandem concludit, quod hactenus de genuinâ indole horum foliorum minimè ritè judicare potuerint Medici, quoniam extractio eorundem cum menstruo inadæquato instituta fuerit; ast, cum nec ipse hic alcoholisatus 🜄 vini omnem ex hisce foliis possit extrahere virtutem, pariter dubium manet, an hic magis adæquatum, præ aquâ communi, præbeat menstruum.

§. V.

Ex his ergò modò allegatis experimentis facilè nunc concludere licet, quòd principia constitutiva foliorum Thee sint *Sal acidum cum copiosâ terrâ intermixtum, & blandis ♀eis volatilibus contemperatum.* Primi enim hujus principii, nempe *Salis acidi* præsentiam, demonstrant experimenta & producta §. III. recensita, nec non præcipitatio lactis, quæ cum Extracto horum foliorum, mediante aquâ diluto, facilè succedit. *Principium terrestre* arguit, præter lenem adstrictionem & amaritiem, insimul color nigricans, qui ex soluto Extracto horum foliorum cum solutione Vitrioli emergit, (§. II.) siquidem per experientiam physico-chymicam constat, quòd omnium illorum corporum, quæ ex particulis terrestribus facilè solubilibus constant, v. g. Gallarum, 🜃æ Catechu, Rad. Tormentillæ, Ligni Aloes, &c. extractiones, additâ solutione Vitrioli, itidem atramentosum talem induant colorem. *Subtiliora* tandem *♀ea & salina volatilia* testantur effluvia, odor svavis & fragrans, ipsaque Tinctura per ∇ini alcoholisatum extracta.

§. VI.

Hæc ipsa autem modò recensita & demonstrata Plantæ nostræ principia sufficienter nunc exhibent atque docent, quod ea in genere *virtutem tonicam & subadstringentem, blandè diureticam, aperientem, modestè resolventem, nervinam & roborantem* possideat, & in variis affectibus cum eximio ægrotantium emolumento exserere queat, inprimis si in consvetâ Infusi formâ adhibetur. Licet enim sententiæ illorum Medicorum non absolutè subscribamus, qui indiscretim effectus illos omnes post hujus aliorumve Infusorum calidorum usum observatos, potius ab aquâ calidâ, quàm ab ingredientibus deducere malunt; hoc tamen minimè negamus, quòd multum quoque conferat hoc menstruum, non solum extrahendo & certo respectu exaltando vires horum foliorum, sed & secundum propriam suam qualitatem & efficaciam agendo, quoniam præcipuè sola hæc folia, tam in pulverem redacta, quam Extractum vel Essentia exinde parata, nunquam hoc præstabunt, quod ab Infuso expectare licet, sufficienti testimo-

mo-

monio, quòd unum alterius requirat opem, & ambo amicè conſpirare debeant, ſi ſalutarem nobis promittere velimus effectum.

§. VII.

Ut igitur probè antea cognoſcamus, qualesnam *Aquæ* potiſſimùm, reſpectu Infuſi horum foliorum, tribuendæ ſint virtutes, reſpiciendum utique erit tam ad proprietates & eſſentiam, quam ad qualitatem ejus. Ratione *eſſentiæ*, dum aqua eſt liquor inſipidus, aëreis pariter ac æthereis elaſticis particulis refertus, præbet non ſolum menſtruum aptiſſimum & puriſſimum pro recipiendis intra ſua interſtitia principiis horum foliorum, inprimis ſi levior eadem fuerit; ſed & inſuper humectando, emolliendo, lubricando, ſtricturas relaxando, viſcoſitates diluendo & abſtergendo, ⊖ia heterogenea imbibendo & recipiendo, humores temperando & attenuando, ſe- & excretiones promovendo, multum utique emolumenti ad conſervandam pariter ac reſtituendam ſanitatem affert. Hi ipſi autem in ſe jam admodum ſalutares effectus exaltantur magisque augentur per *qualitatem caloris*, quippe quo inprimis emollitionis actus quàm maximè promovetur, humorum progreſſus & circulatio adjuvatur, omnesque impuritates heterogeneæ promtiſſimè diluuntur, corriguntur & per congrua evacuatoria, glandulas nimirum ſubcutaneas, ceu per cribrum, eliminantur, ut vel exinde inſignis efficacia non ſolum ſimplicis aquæ calidæ, ſed & medicamentoſæ hujus plantæ virtutibus imprægnatæ, cuilibet rerum phyſicarum & medicarum parumper gnaro, facilè innoteſcere queat.

§. VIII.

Quod verò nunc ſpeciales foliorum Thee in hâc formâ attinet virtutes & proprietates, ante omnia Infuſum illud, ſi non in omnibus, ad minimum tamen in plurimis morbis optimum & commodiſſimum præbet *Vehiculum* pro aſſumendis medicamentis, tam iis ſubjectis, quæ ordinario ejus uſu delectantur, quam quæ, licet aliàs ipſi non dum aſſueta fuerint, communi ſaltèm laude aliorumque exemplo invitantur & alliciuntur: Sicuti enim quoad ſuavem & temperatam dulce-

dinem nulli ferè nauseosum existit, ita ratione simplicitatis suæ medicamentorum qualitates & effectus vix unquam alterat, nedum debilitat & infringit, quin potius adhuc magis promovet & exaltat, idque præcipuè respectu intrinsecæ suæ virtutis & conjuncti insimul mediocris caloris, qui ob antea enumeratas jam jam utilitates, huic utique præ omnibus frigidiusculis aliisque Vehiculis facilè prærogativam conciliat.

§. IX.

Dein etiam hoc Infusum non solum attenuando & colliquando viscidos atque tenaces humores, sed & vias laxiores ac tono suo naturali quodammodo destitutas roborando, eximium præstat usum pro reserandis *obstructionibus* & humorum circulatione promovendâ, siquidem subtiliores particulæ 🜍eæ & ⊖inæ volatiles horum foliorum, accedente insimul calore, sanguinis massam blandè exagitant, eoque ipso occasionem suppeditant, ut Spiritus animales hâc ratione exsuscitati, functiones suas eò melius absolvant & cum majori activitate perficiant: Hinc est, quòd ex potu hujus Infusi *somnus* profligetur & *vigiliæ* procurentur, ob activiorem nempe & concitatiorem dictorum Spirituum motum, ac liberiorem eorundem in partes nervosas influxum, unde dein homines plerumque alacriores ad studia & res suas, etiam nocturno tempore peragendas, redduntur. Eodem modo quoque *Ebrietatem*, & quæ eandem ordinariè comitantur symptomata, mitigat & tollit, quatenùs nimirum particulas orgasticas 🜍eo-vaporosas, â copiosiùs assumtis potulentis inebriantibus ad M. S. delatas, diluit, contemperat & per modestam diaphoresin atque diuresin tempestivè eliminat, sicque tranquillum & liberum spirituum atque humorum motum, antea nimiùm quantùm turbatum, restituit.

§. X.

Præterea quoque horum foliorum *Infusum* vel *Decoctum*, si debitè hauriatur, *digestionem* non parum adjuvat, *ciborumque resolutionem* promovet, dum nimirum saburram tenacem ac viscidam, circa glandulas faucium, Oesophagi & Ventriculi hærentem easque obstipantem, diluit & abstergit, ut dein hæc ipsa

ipſa organa colatoria ſecernendo & effundendo liquori ſalivali & gaſtrico, ad concoctionem ciborum inprimis neceſſario, aptiora reddantur; partim etiam modò dicti liquores, ſi ſpiſſitudine præternaturali forſitan laborant, tenuiores & diluiores evadant, quò dein macerandis & reſolvendis cibis aptiores fiant, quæ ipſa etiam cauſa eſt, cur Chinenſes atque Japonenſes, dum cibos capiunt, ſemper aquam calidam ipſis ſuper ingerere ſoleant, probè nimirum gnari, quòd potus omnis calidus ventriculo magis conducat, quàm frigidus. Conf. ETTMÜLLERVS *in Praxi ſuâ, Cap. de Chyloſeos læſionibus.* Eandem etiam ob cauſam hoc ipſum artificiale potulentum medicum in omnibus eximiè prodeſt *febribus*, quatenus nimirum in *continuis*, & præcipuè *exanthematicis*, per-quàm neceſſariam & ſalutarem illam moderatam diapnoën promovet & conſervat, ſicque miasmatis peregrini in M. S. oberrantis ſucceſſivam ſe-& excretionem adjuvat; in *intermittentibus* verò, præter hanc pariter utilem ſudoris promotionem, etiam materiam peccantem, in primis viis aut viſceribus abdominis hærentem, attenuat & ad excretionem faciliorem præparat, prout hoc de omnibus calidis in genere jam jam obſervavit, atque id circò ea febricitantibus in potu præcipuè exhibenda eſſe judicavit HIPPOCRATES, *Lib. de loc. in homine, c. 8.*

§. XI.

Non minùs etiam proficuum deprehenditur Infuſum Thee *Phthiſicis* pariter ac *Hecticis*, inprimis ſi cum lacte caprillo vel aſinino remixtum illud fuerit, non ſolùm ad præternaturalem calorem temperandum, ſitimque extinguendam, ſed & ad abſterſionem, mundificationem & qualemcunque conſolidationem ulceris vel abſceſsûs quodammodo promovendam, quippe quos effectus, ob leniorem ſuam virtutem tonicam, potiſſimùm præſtare valet. Proinde etiam ipſi Chinenſes eidem attribuunt virtutem *purificandi ſanguinem*, teſte RAJO *Hiſtor. Plantar. Tom. II. Lib. XXVIII. Cap. 2. p. 1620.* quam & nos ipſi non prorſus denegamus, atque in eo potiſſimum conſiſtere autumamus, quòd ejus uſu frequentiori tam ſanguis, quàm reliqui humores corporis noſtri, à particulis heterogeneis Θino-Φeis orgaſticis & excrementitiis liberentur,

 dum

dum nempe infusum hocce Θia peregrina, acredine nimiâ infensa, promtissimè diluit, temperat, corrigit, & per congruâ emunctoria, glandulas nimirum subcutaneas, ceu per cribrum, eliminat, hâcque ratione tam scorbuticorum, quam aliorum exinde dependentium morborum curationem adjuvat.

§. XII.

Porrò etiam eximiæ censetur virtutis hoc nostrum Infusum in *Calculo*, tam renum, quàm vesicæ, & quidem ob virtutem suam non tam lithontripticam, quàm blandam diureticam, quâ ipsâ mucositates pariter ac sabulosa concrementa, calculi molem aliàs adaugentia, tempestivè removet & educit, sicque ad dirissimorum abinde communiter provenientium cruciatuum præservationem ad minimum eximiè conducit; quapropter etiam huic infuso unicè ferè causam tribuere videtur RAJVS *l. c.* quòd nunquam in Japonibus vel minimum calculi, sive renum, sive vesicæ, indicium deprehenderit, licet admodum sedulò inquisiverit. Eâdem ratione eandemque ob causam illud etiam admodum proficuum esse observatur in *affectibus serosis, cachecticis* & *hydropicis*, dum nempe serum stagnans viscidum & copiosiùs collectum diluit & per vias urinarias educit, siquidem aliquando solo hocce Infuso Hydropem, à suppressione urinæ obortum, feliciter curatum fuisse ex ore ægroti refert ALISCHERVS *in Annal. Med. Phys. VVratislav. Ann. 1722. M. Februar. Class. IV. Artic. 16. p. 202.* Ast insimul probè quoque notandum est, quòd ejusmodi subjecta antea sufficienti, imò largiori se- & excretioni urinæ assveta, nec non ipsa Aqua levis atque pura esse debeat, aliàs enim effectus frustraneus, & major potiùs abdominis inflatio, quàm ejus detumescentia, pertimescenda erit, quæ tamen per assumtum sal quoddam volatile oleosum & moderatum corporis motum præcaveri adhuc potest. *Conf. Annal. VVratislav. l. c. M. Januar. p. 70.*

§. XIII.

Non minùs etiam potum hujus Infusi moderatum spem de eo conceptam in *Hypochondriacis* aliquoties implevisse refert Illustris SCHROECKIVS, *Schol. ad Observ. 113. Dec. II. Ann. V. A. N. C.* quoniam nimirum acidum humorem, qui in ejusmodi subjectis utplurimum peccare creditur, diluit & temperat, atque si largiori quantitate hauriatur, per vias urinarias secum eliminat, insuperque visciditatem seri incidit & attenuat, ac promptius vasa corporis permeat; unde etiam Decoctum horum foliorum, cum quo hypochondriacam quandam, pluribus aliis remediis frustra omninò in usum ductis, feliciter restituit RIEDLINVS, utique dignum judicat, ut anti-hypochondriacorum medicamentorum classi inferatur, *conf. ejusd. Lin. Med. Ann. II. M. Decembr. Lin. 28.* cui tamen refragatur Illustr. HOFFMANNVS, *in Differt de Infusi Veronicæ efficacia præferenda herbæ Thee*, ubi §. XXVII. in hypochondriacis & hystericis gravia non semel ab ejus usu producta fuisse symptomata, nimirum Cardialgias, anxietates præcordiales, dolores in abdomine, alvi fluxum, &c. refert, quæ verò magis forsitan

fitan à faturatiori, aut nimis dulcificato, aut etiam copiosè nimis ingurgitato hocce Infufo, quam à legitimo ejus ufu, ortum fuum traxerunt.

§. XIV.

Quòd Decoctum hujus herbæ optimum in *Convulfionibus* fit remedium, teftatur STEGMANNVS in *A. N. C. Dec. III. Ann. I. Obf. 16.* ubi folo ejus ufu, cum regimine quodam convenienti Diætæ, viduam quandam à Convulfione univerfali, quam ἐμπροσθότονον dicimus, fe feliciter liberaffe refert, quemadmodum etiam *Obf. 18.* multos infantes, qui, poft morbillos & Variolas, Convulfiones paffi funt, quas nullis aliis medicamentis curare potuit, eodem Decocto reftitutos fuiffe afferit, quoniam illud optimè acidum ferofum & flatuofum, quod in Convulfionibus peccare autumat, poffit exficcare, diffipare & per fudorem urinamque propellere; imò denique *Obf. 17.* puerum 7. annorum adducit, qui à fingulari quodam *morbo*, *Ecftafi non abfimili*, pariter folo hoc Decocto liberatus fuit. Non minus etiam *difficultatem auditûs*, à flatibus craffioribus & impuris, aërem auris inquinantibus, obortam, & per plures annos jamjam toleratam, mediante hoc Infufo penitus ablatam fuiffe refert Celeb. APINVS in *A. N. C. Dec. III. Ann. III. Obf. 70.* Proinde quoque de fingulari quâdam horum foliorum fpecie, quæ *Thee Poual* vocatur, in *Annal. Phyf. Med. VVratisl. Ao. 1722. Menf. Januar. p. 101.* relatum habemus, quòd contra Apoplexiam, Diarrhœas omnisque generis dolores inteftinorum, ùt præftantiffimum remedium à Chinenfibus celebretur, inprimis fi ultra decem annos eadem jam affervata fuerit. Eft autem hæc procul dubio illa fpecies, quam *Thee Bub* vocant, (*vid. §. V. & VII. Sect. I.*) quamque inprimis in pretiofis illis & antiquitatis famâ maximè infignibus vafis myrrhinis, feu porcellanis, *Maats ubo* ab ipfis dictis, affervant, atque ita virtutem ejus magis exaltari autumant, ut, quò diutius in iis delituerit, eò carior & nobilior quoque fit habenda.

§. XV.

Quid in *Podagra* aliisque *affectibus arthriticis* & *fpafticis*, præfervativè pariter ac curativè præftare valeat hoc medicamentum liquidum, ex virtute ejus, fanguinem purificandi (§. XI.) & communi experientiæ fuffragio, facilè concludere licet. Obfervavit enim fupra laudatus KÆMPFFERVS, quòd in Japonibus, Cerevifiæ vernaculæ, ex Oryzâ paratæ, amatoribus, Arthritis vaga admodum frequenter; in Thee-bibulis autem nulla Podagra obfervetur. Sic etiam SCHELHAMMERVS *in additam ad Conring. Introduct. in art. med. cap. X. p. 362.* refert, quod *Bontekoe* Magno FRIDERICO VVILHELMO, Electori Brandenburg. graviffimos podagricos dolores folo Thee potu levaverit. Quòd porro idem ille potus in *Sodâ*, molefto illo ventriculi ardore, fi præcipuè à biliosâ faburrâ in primis viis hærente, oritur, perquàm utilis exiftat, per fe jam liquet. Ad mitigandos *capitis dolores*, inprimis autem graviores illos fub *Cephalæa* occurrentes, multum pariter contribuit, fiquidem hanc ultimam, poftquam per integrum annum miferè eâdem laboravit, tandem potu copiofiori Thee penitus fe profligaffe fatetur MUYS *in Podalirio p. 59.* Contra *vifûs imbecillitatem* Infufum hoc eximiè commendat RAJVS *l. c.* illudque Japonenfibus primarium

effe

esse antidotum contra ejusmodi oculorum vitia ipsis frequentissima, ac ex assiduo Oryzæ calidæ & sui *Sacqui* potu & usu maximè contracta, existimat.

§. XVI.

Tandem coronidis loco paucis adhuc investigandum erit, *an etiam ad conciliandam obesitatem quicquam contribuat hic potus?* Negat equidem hoc, cum aliis quibusdam, Celeb. GOHLIVS *in Actis Med. Berol. Dec. I. Volum. II. p. 128.* & potius autumat, quòd *saturatius* horum foliorum *infusum, frequentius in usum* tractum, corpora tenera & ob temperamentum cholericum macilenta, magis emaciet, & ad Atrophiam cum Hecticâ disponat, quod & nos hoc respectu non planè inficiamur. E contra autem ritè paratum & convenienter assumtum sine ullâ ratione emaciandi virtutis accusari, quin potius gracilibus innumeris saluberrimum fuisse, imò nonnunquam, ut pinguescerent, multum juvasse, & quidem non tàm materiam pinguedini suggerendo, quàm humores ad alendum antea ineptos corrigendo, fusiùs demonstravit CAROL. FRID. LVTHER, *Prof. Kiloniens.* in Dissert. quâ disquiritur: *An Potus Thee exsiccandi & emaciandi virtute polleat?* Ob der Thee zehre? Confirmat etiam id ipsum exemplum à RIEDLINO *in Lin. Med. Ann. IV. M. Jul. Lin. 17.* adductum, de viro quadragenario majore, qui perquàm gracilis & â patre phthisico genitus, ab uberiori Decocti hujus legitimo potu multò habiliorem ac pinguiorem acquisivit habitum.

§. XVII.

Priusquam verò tractationi huic finem imponimus, seriò utique monendi erunt omnes svavioris hujus potulenti fautores & amatores, ne forsitan ob hactenus enumeratas eximias ejus virtutes ad promiscuum & abusivum ejus usum seducere se patiantur: Multa enim, eaque non exigua, valetudinis damna certissimè expectanda sunt, si nullo habito respectu aut discrimine temperamentorum, sexûs, ætatis, aëris, aquæ, vitæ generis, quantitatis atque pravæ quotidiani usûs consvetudinis, potulentum hocce suadetur & ingurgitatur, sicuti hæc omnia jam doctissimè demonstravit Celeb. DETHARDINGIVS *in Diss. de tribus impostoribus, I. Potu Theæ & Caffée, II. commoda vita & III. Officinis domesticis, Membr. I. Artic. 2.* Minimè igitur, cum doctissimo PECHLINO *in Theophilo Bibaculo*, seu erudito *Dialogo de Potu Thee p. 56.* judico, quemvis temerè & promiscuè, ut libido impellit, ad sacra hæc admittendum, aut ad minimum istâ circumspectione his utendum esse, ut, *quemadmodum in aquarum thermalium aliarumque, ita in Thee quoque usu delectus habeatur temperamentorum, & cum nemo sibi hoc facilè consulere possit, Medici compellantur, ejus rei periti, qui modum, tempus copiamque cum ratione definiant.*

TANTVM.

S. D. G.